



**Theses Theologicæ De Gratia, Libero Arbitrio,
Prædestinatione, &c. In Qvibvs Doctrina Theologorvm
Societatis Jesu contra Corn. Jansenii [Iansenii]
Augustinum Defenditvr**

Derkennis, Ignatius

Antwerpiae, 1641

Cap. VI. Proponuntur Iansenij Imposturæ, Contradictiones, Thrasonismi, & in Philosophos Christianos, ac Scholasticos Doctores omnes ignominiosa censura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73715](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73715)

CAPVT SEXTVM.
DE IMPOSTVRIS,
 CONTRADITIONIBVS
 ET
 THRASONISMIS
CORN. IANSENII.

Voniam præter immodicas Censuras, quibus Societatis IESV Theologos perstringit Iansenius, quamplurima, quorum aliqua hinc inde delibata sunt, falsò illis imponit, vt in primis est illud: *Quod objectiones Pelagi, vel Augustini errant, acceperint pro vera eius doctrina & assertione: quod toto Opere suo insolenter iactat, plurima item dicat parum inter se coherentia; imo & quædam in sanctos Ecclesiæ Patres, & Scholasticos omnes Theologos, quibus superbè insultat, iniuriosa: vilium fuit è multis pauca colligere & Lectori proponere: vt sicut ex superioribus capitibus doctrinam, ita ex pauculis illis fidem Iansenij plenius perspiciat, ne incautus fallatur.*

PRIMA IMPOSTURA.

Scriptores inter Origenis & Augustini etatem interiecti plerique Semipelagianæ labi infecti fuerunt, quam in Oriente ab ipso Origene (quem in Scripturarum explicatione sectabantur) traxerunt, precipue Græci. Iansenius Tom. 1. col. 438.

Per Scriptores illos sanctos Ecclesiæ Patres Doctoresque intelligit, vt eorum contra se proferenda testimonia suspecta reddat. Hæreses igitur insimulat Iansenius Athanasium, Epiphanius, Basilius, Ephrem, Gregorium Nazianzenum & Nyssenum, Chrysostomum, alioisque coæquales illorum, qui definitis temporibus inter Origenem & Augustinum interiaceant. Insimulat quoque hoc modo nouitatis Augustinum, quasi diuersam ab illis doctrinam tradiderit, atque ita vnius Catholicae Ecclesiae coniunctissimos filios diuidit. Quo spiritu? Quo apud Ruardum Art. vii. Calinus: cuius ibi verba sunt tantum non modestiora: Græci, inquit, pra alii, atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humana voluntatis facultate modum excellerunt. Veteres autem omnes, excepto Augustino, sic hac in re, aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, vt certi ferè nihil ex eorum scriptis referre licet. Sic ille, Veteribus omnibus, & præsentim Græcis Ecclesiæ Patribus, Augustini doctrinam, velut ab illis diuersam & nouam opponens. Sed quam ab Antiquiorum, etiam Græcorum, Patrum sententia recedere noluerit Augustinus, & quam suam ipse doctrinam illis studuerit conformare, patet in primis ex Epist. Cœlestini Pontificis ad Episcopos Gallia c. 2. Et ex ipso Augustino lib. de natura & gratia c. 61. 62. & seqq. Item de bono perseverantia c. 19. & lib. 1. contra Julianum c. 4. 5. & 6. vbi suam doctrinam ex eorum, velut irrefragibili auctoritate, nititur stabilire. Quam vero etiam illibata & ab omni heræcos labi pura eorundem scripta cenfuerit, patet ex lib. 2. contra Julian. c. 10. fine, vbi post nominatos complures Græcos Latinosque Patres, qui inter ipsum & Origenem plerique interiaceant, sic contra Julianum, eorum obrectatorem, concludit: *Aduersus hanc, inquit, miserabilem, quam Deus auertat, insaniam sic respondendum esse video libris tuis (Juliane) vt fides quoque aduersus te defendatur istorum, sicut contra impios & Christi professos inimicos, etiam ipsum defenditur Euangelium.* Hisce verbis etiam contra Iansenium defensos sanctos Patres Lector meminerit, scicubi eorum auctoritatem ab illo eleuari animaduenterit.

II. IMPOSTURA ET CONTRADICTIO.

Origenes omnibus numeris absolutam tradit, inamissibilem, & quasi essentialē in omni statu liberi arbitriū indifferentiam, que alterius partis necessitate excludat. Hac est autē totius Pelagianæ structuræ basis præcipua. Ianf. tom. I. col. 367.

Errores Origenis diligentissimè notarunt Epiphanus, Theophilus, Hieronymus, Thodoretus, Nicophorus, aliique; neque illus eorum inter errores eius posuit eam, quam docuit indifferentiam utriusque partis. a Tom. 3. col. 658. Sed & Iansenius, qui loco citato, sicut illa censoria protestate indifferentiam illam in Origene erroris damnat, non veretur eumdem obtuso collo in eam sententiam trahere quod libertas cum necessitate consistat, cum tamen expressè contrarium ibi dicat Origenes. Nimirum nouit Iansenius, Batauicā arte, cum lubet, nunc in Orientem, nunc in Occidentem codem vento nauigare, & in codem. Auctore nunc communem & veram doctrinam hereticos damnare; nunc ab illa abductum in suam sententiam pertrahere.

III. IMPOSTURA ET CONTRADICTIO.

Iansenius S. Augustinum pro libitu suo iam irrefragabilem facit Doctorem: iam errantem aut retractantem: iam dogmatizantem, quod ip[s]i placuerit.

Primò enim dicit Augustino altissimam Theologiam mox à baptismo caloris fuisse inspiciatam a E[sther] diuero autem Augustinum b[ea]tum pede metiens, dicit illum quae iuueni ac tyro contra Manichæos scribens incaute effuderat, ea iam senem, & contra Pelagianos sententem corressist[er]e; ac inter cetera id quod dixerat de p[re]en[ter]is parvulorum: cū tam[en] nec id retractarit Augustinus, nec tyro, aut iuueni, sed iam Episcopus creatus contra Manichæos scriperit.

Secondò doctrinam omnem suam, quam contra communem Scholasticorum sententiam protrudere copit, int̄dīa declinanda causā, S. Augustino adscribit, eamque ab illo velut Ecclesiae Catholice dogma traditam fuisse assuerat: vt ferè facit in omnibus illis, que cap. per articulos 18. ex illo proposuimus. Cū tamen Celestinus Pontifex epistolā ad Proþerium & Hilariam exp[re]ssè definiat, illa dumtaxat in præscriptis materiis vt fidei dogmata haberi debere, & sufficiere, quae ibidem nouem articulis à c. 4. v[er]o que ad 12. comprehendit[ur] int̄ducentur: quae certè non sunt illa, quae haec tenus ex Iansenio retulimus. De reliquo vero ibidem non dicitur, sic ad extremum loquitur Pontifex: Profundiores vero difficultates, p[er]tinentia incidentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hereticis restiterunt, sicut non audiens communere, ita non necesse habemus astruere. Sunt ergo non pauca ab Augustino disputata, & disputatione resoluta, quæ fatente Pontifice necesse non habemus astruere, quasi forent fidei Christianæ dogmata. Malè autem hoc dictum ad ea sola restringit Iansenius, quæ ita sunt ab Augustino disputata, vt de iis nullam ipse utramlibet in partem, resolutionem dederit.

IV. IMPOSTURA.

Predestinationis heresim, è diametro Pelagianis oppositam, vñquam extinguit negat Iansenius: sed hoc nomine per calumniam à Massiliensibus ait appellatur fuisse Augustini sectatores, esq[ue] primū à Gennadio Massiliensi in hereticorum catalogum relatos fuisse, & post illum ab aliis scriptoribus Gennadium incaute securis. Ianf. tom. I. col. 541.

Hac viâ sua consulere studet Prædestinationi Iansenius. Sed frustra: nam Prædestinationis Hæresim discrete exprimit, & damnat Arauficanum Can. 25. sub finem his verbis: Aliquos ad malum diuinā potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere volunt, cum omni detestatione in illis anathema dicimus. Et quamquam hoc Concilium Gennadio sit posterius, tamen aliquam eiusmodi hæresim extitisse, & damnatam fuisse contra Iansenium conuincit. Quod vero ea etiam Gennadio antiquior fuerit, pareat ex Amobio, qui eiusdem Hæreseos meminit in illud psal. 108. Noluit benedictionem: vbi sic habet. Nota ex arbitrio venisse vt nollet, propter HÆRESIM qua dicit: Deum alios prædestinasse ad benedictionem, alios

ad maledictionem. Siue enim Commentarios illos scripsit Arnobius senior, siue iunior, uterque Gennadio multo est antiquior. Sed & Augustino non ignota fuisse videtur qui epist. 47. initio, sic dicit: In Pelagianorum errorem cadit, qui putat aliquo merito humano gratiam Dei dari.... Sed rursus, qui putat quando ad iudicium Dominus venerit, non indicari bonum secundum opera sua, qui iam per etatem vii potuit libero voluntatis arbitrio, nihil minus in errore est.

Vbi expressè Pelagianismo aliam errorum opponit, qui videtur fuisse eorum, qui ex solo Dei beneplacito, sine respectu ad illa opera mala, ob solum originale peccatum homines à Deo reprobari dicerent.

V. IMPOSTURA ET THRASONISMVS.

Scripores Societatis Bellarminum, Molinam, Suarez, Vasquez, Lessium aliosque arripuisse & citasse ex Augustino obiectiones Pelagi, aliorumve errantium pro de-ārina & resolutionibus S. Augustini. Ians. Tom. 3. col. 218. & alibi.

Tria omnino loca S. Augustini, profert Iansenius, in quibus Auctores Societatis obiectiones Pelagi, vel ipsius Augustini adhuc errant, pro vera eius doctrina siue assertione, ipsius iudicio, abusi fuerint: eaque velut si sexcenta forent, per omnia libri sui compita à capite usque ad calcem insolenter debuccinat. Sed quā fide, videat ex sequentibus sinceras lector & iudicet. Confidimus enim fore, ut facile videat & thrafonem esse Iansenium & impostorem.

PRIMVS locus Augustini habet lib. de Correptione & gratia c. 10. eumque adducit Vasquez 1. disp. 98. c. 2. & Suarez tom. 3. de gratia lib. 10. cap. 9. n. 6. ut ex eo probet: Adamum in statu innocentiae perseverantiam non habuisse, quae fuerit speciale donum; quale haberunt Angeli in bonis perfidentes, vel homines nunc in iustitia perseverantes. Verba autem Augustini eamdem illuc questionem ponentes, & dilemmaticè secum disputantis sunt ista: *Sed illud magis querendum oportet, tractandum, quomodo respondamus eis, qui dicant: Si in illa rectitudine, in qua sine vita factus est, habuit perseverantiam, proculdubio perseverauit in ea. Et si perseverauit non peccauit. Eum autem peccasse veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam, & si non habuit, non virgo accepit. Porro si propterea non habuit quia non accepit, quid ipse non perseverando peccauit, qui perseverantiam non accepit? Ex quo dilemmate priora illa verba: Non ergo habuit perseverantiam, & si non habuit, non virgo accepit, quia brevia erant & clara, & in eo sensu, quo Suarez iis pro sua sententia vtratur, ab ipso Augustino, vix patebit, concedenda; velut concessis & admissis usus est Suarez. Et rectissime, & ex ipsa Augustini mente. Volens enim ostendere Augustinus Adamum, qui non perseverauerat, atque adeò quodam pacto perseverantiam non habuerat, nihilominus non perseverando peccasse: duplum distinguit perseverantiam; unam per quam posset perseverare, & hanc dicit Adamum habuisse: ideoque non perseverando peccasse; alteram vero, quae det ipsa perseverare; sicut iusti in hoc statu perseverant: & hanc negat Adamum habuisse. Sic enim dicit c. 12. *Primo homini datum est adiutorium perseverantie, non quo fieri ut perseveraret, sed sine quo perseverare non posset.* Itam ergo perseverantiam, quā fieret ut perseveraret, facetur Augustinus Adamum non habuisse, nec proinde accepisse. Bene ergo pro ea re visus est verbis illis Augustini, quamquam in dilemmate & obiectione positris: *Non habuit perseverantiam, & si non habuit, non virgo accepit.* Malè autem fide illi imponit Iansenius quod non animaduerterit isto loco esse obiectiōnēm, cum illa vel pueris appareat: peiori, quod dicat esse obiectiōnēm Pelagi, cuius nulla ibi mentio: pessimā quod afferat esse errorem Pelagi, refutatū ab Augustino; cum August. verba à se propulsa, codem quo Suar. sensu admittat.*

SECVNDVS locus, isque nihil meliore fide à Iansenio tractatus, habetur apud S. Augustinum lib. de Spiritu & littera: vbi ostensurus, tam fidem quam credendi voluntatem esse donum Dei, & quarens cur ea non contingat omnibus; sic secum ipse disputatione: *Dé hac, inquit, queritur, unde sit nobis si natura; quare non omnibus, cum sit idem Deus omnium creator; si dono Dei, etiam hoc, quare non omnibus, cum omnes homines velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Hunc problemati mox adaptat responsionem, sed adhuc velut pendente, paulo post dicturus, an & quo sensu ea recipienda sit, hoc modo: *Videamus, vtrum in huic satisfaciat questioni; quod Librum arbitrium naturae alter attributum à creatore, anima rationali, illa media via est, que vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Et idē nec istam voluntatem, quā credit Deo, dici potest, hec habere quam non accepit: quandoquidem vocante Deo *surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit.* Hac prior est pars responsionis. Tum nullis interiectis addit: *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium,*

122 CAP. VI. PROPOSITIONES THEOLOGICAE.

trium, quo vel bene vel male vtentes, iustissime iudicentur. Quæ posterior est pars pendens respon-
sionis. Vtramque deinde explicat, confirmatq; que initio cap. sequentis, vt mox videbimus.

Ex hoc loco duo quædam probant Societatis Scriptores. Primum, quod voluntas huma-
na, oblatâ etiam fidei gratiâ, quâ credere possit, libera nihilominus & indifferens maneat, vt
credat & non credat: eò quod Liberum arbitrium illa media via est (id est inter duo extrema, bo-
num & malum, indifferens) qua vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. ita Suarez,
Alterum est quod Deus reuera omnes homines velit saluos fieri; & ex ea voluntate & fidem
& gratiam offerat omnibus. Sed sic vt eos liberos relinquat, neque cogat: arque ita fieri
quod multi sua voluntate & vitio non credant, & iustissime, vt ait Augustinus, iudicentur, sive
condemnentur. Hoç enim tum ex Augustini dilemmate & adiuncta responde colliguntur:

a lib. 2. de
grat. c. 5.
b lib. 4. de
Prædest. c. 1.
c dñp. 1.
membr. 6.
ad 4. 23.
ari 4. Ep. 5.
d de Præd.
fcl. 6. n.
66.

Sunt hæc duo doctrinæ capita, capitaliter Ianfenio exofa, (vt viñum suprà cap. 2. art. 5. & u.)
& ex claris verbis S. Augustini deducuntur; idque non ab vno, sed a pluribus doctrinæ Scripto-
ribus, iam citatis. Quos omnes vt vno velut iœtu ingulet, omnibus nervis contendit Ianfenius
tom. 3. lib. 2. cap. 30. cui hunc titulum præfigit: solvantur duo loca Augustini, (id est duæ parts
ciudem responsionis iam dictæ) lib. de Spiritu & littera, in quorum vitroque Receniora (videlicet
Bellarminus, Suarez, Molina, Lessius, ad marginem citati) opinionem errantium ceperunt pro
bis Augustini. Vbi notandum Opinonem ERRANTIVM, secundum Ianfenium esse ipsius Au-
gustini ERRANTIS, sive errorem suum, quem olim tenuerat referentes, ac deinde refutau-
nt & in hoc iterum cæcutiuisse Scriptores illos dicit ille oculatissimus.

Sed vel ipse hic cæcutit Ianfenius, vel, quâ solet calliditate, aliis in re clara tenebras of-
fundere nititur, & fallere. Nam duo illa, videlicet: *Quod liberum arbitrium media via illa sit,*
vel intendi ad fidem vel inclinari ad infidelitatem potest. Et: *Quod Deus velit omnes homines saluos fieri*,
*& ad agitionem veritatis venire, non sic tamen vt eis admittat liberum arbitrium, quo bene vel male nrau-
iustissime iudicentur (quæ sola ex illa Augustini responsione accepterunt Auctores nolit) nec
hic, nec alibi vñquam retractat, aut retractare potest Augustinus. Vnde cap. seq. initio lam di-
cta confirmans ait: *Hac disputatio si questioni illi soluenda sufficiat, sufficiat.* q.d. Sufficit bene intel-
lecta. Nec enim sufficeret si errorem contineret. Sed ne perperam à quoquā intelligenter,
subiungit: Cauendum esse, ne quis æquè peccatum atque fidem Dei tribuat, ex eo quod &
hæc & illud ex libero prodeant arbitrio à Deo creatorie homini indito: Attendat, inquit enim,
& videat, non idem tantum istam voluntatem (crederi) diuino muneri tribuendam, qua ex libro ar-
bitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est: verum etiam quod binis suasionibus (externâ videlicet
& internâ) agit Deus vt velimus & credamus Et paulo post: *Profecto & ipsum relin-
dere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocatio
Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi propria voluntatis est.* Attendat ergo & videat Ianfenius, verum
esse nec retractatum quod dixerat: *Liberum arbitrium intendi posse ad fidem & inclinari ad infidel-
itatem;* &: *Deum ita omnes homines velle saluos fieri &c. non sic tamen vt eis liberum admittat arbitrium:*
quod assertunt cum Augustino Societatis Auctores; & contra illum negat Ianfenius: & ab
hoc re diuersum esse: An naturaliter sine Dei gratia credere quis possit, quod vt negat Au-
gustinus, ita nemini istorum Theologorum in mētem venit: sed id iis imponere vellat Ianfenius.*

Postremus Augustini locus à Ianfenio relatus tom. 3. lib. 2. de grat. Christi cap. 31. &
desumptus est ex lib. 1. ad Simplic. q. 2. his verbis: *Alier Deus prestat vt velimus, alier prestat quod volu-
rimus. Vt velimus enim, & suum esse voluit & nostrum: suum, vocando; nostrum, sequendo: quod autem
voluerimus solum prestat, id est, posse bene agere & semper beatè vivere.* Quæ similiter Ianfenius non mit
esse Augustini recte sentientis, sed ei etiamnum erranti, & Semi-Pelagianum suum rumi-
nantia adscribit, ne sufficientiam gratia inihibitabilitatem cogitat admittere. Tres hoc loco
vtuntur Bellarminus, Suarez, & Lessius, & opera libi pretium facturus videbatur Ianfenius,
si vñâ omnes sepiâ denigraret. Colorem proinde erroris quaesivit. Verum vt illi facile est pro
libitu suo, Augustino abuti, sic nobis de eadem fidelia rursus omnes dealbars. Nullum igit
errorem agnoscimus dicto libro ad Simplicianum, sed constantem sanctissimi Patris doctrinam.
Siquidem lib. 1. Retractationum cap. 23. cùm de eo ageret, quod in propositionibus epistole
ad Romanos Presbyter tradiderat (fidem siliacet esse à nobis) hac sententia le corrigit: *Vtramque*
(credere, & operari) *nostrum est propter arbitrium voluntatis, & virumque tamen datum est per Spi-
ritum fidei & charitatis.* Et deinde: *Vtrumque ipsius est, quia ipse preparat voluntatem, & virumque*
nostrum est, quia non fit nisi voluntibus nobis. En similibus, in id iisdem proprie verbis confirmata, quæ
ad Simplicianum scriperat. Eat nunc & iactet Ianfenius Scriptores illos obiectiones Pelagi,
& aliorum errantium pro doctrina S. Augustini arripiuit, quando ipse verisimilam eius doctrinam
errorem facit; & sanctissimum Doctorem pro libitu suo errantem, & tetram.

VI. IM-

VI. IMPOSTURA.

Iansenius docuisse assertit Auctores Societatis (citatque Suar. Bellarmineum, Lessium, &c.) etiam in statu naturae lapsa post grauissimum illud peccatum, quo natura damnata est, gratiam Dei sufficientem creature rationali adhuc esse debitam. Tom. 2. col. 760.

Sed his omnibus hoc manifeste imponit Iansenius. Nam Suarez lib. 2. de Prædestinatione cap. 2. n. 4. è diametro docet contrarium, his verbis: Debitum non est humana natura eleuari ad ordinem gratia, seu fieri participem donorum eius: non est, inquam, debitum non solum ex propria iustitia; verum etiam ex debito proportionis seu exigentia naturalis. Et infra: Finis ad quem prouidentia gratia tendit est supernaturalis & natura non debita. Bellarmineus & Lessius in locis à Iansenio citatis tantum docent, aequum esse Deum homini, ad finem supernaturalem ordinato, media necessaria non denegare. Homines omnes debere habere auxilium sufficiens ad non peccandum.

VII. IMPOSTURA.

Lessius (ut ait Iansenius) discretionem credendum ab incredulis in cardinem humanae libertatis refundit. 2. eidem adscribit determinationem ad bene agendum perinde ac omittendum. 3. In eo magis hallucinatur quam ipsi Massilienses. 4. Consequientia, quam à statu naturae integra format ad statum naturae lapsa, Augustino capitaliter repugnat. 5. Idè à duabus facultatibus Louaniensi, & Duacensi doctrina eius proscripta est. Vide Indicem Tom. 3. verbo Lessius.

Conglobatae sunt hæc Iansenij calumniæ, & ferè totidem quot sententiae. Nam 1. Fides est, quâ discernuntur credentes ab incredulis. Hanc donum Dei esse cum Catholicis omnibus docet Lessius. Falsum ergo quid discretionem illam in cardinem humanae libertatis refundat. 2. Item quid eidem tali tribuat aquæ determinationem ad bene operandum quam omittendum: cùm boni operis principium ponat, & gratiam, & liberum arbitrium: omissionis vero solum liberum arbitrium. 3. Hallucinatur ergo non Lessius sed qui eum in hac re dicit hallucinari Iansenius. 4. Consequientia de statu hominis integri ad lapsum, in suo sensu bene & verè formauerat Lessius, hoc modo: *In statu innocentia sufficiebat homini ad salutem gratia, quâ poterat perseverare: ergo & nunc.* Intelligebat verò id Lessius, non quid eandem & omnino limitem gratiam, vt Adamo, ita & nobis veller sufficeret, sed quid utrique respectuè talis sufficeret, quâ posset perseverare, & sic consequentia eius oportet est. Quod quia malè intellexerant Ceniores illi, idè & hoc, vt alia, malè cœliterunt, & ab Apostolica Sede sub graui anathemate cohibiti & reprehelli fuere; appensò publicè per Apostolicum Nuntium, Episcopum Calatinum, Pontificio decreto, cuius verba suprà prefatione ad lectorum recitauimus. Nec debuerat eam cœluram à Sede Apostolica iam abolitam & obliuione sepultam resuscitare Iansenius, & nos invitios cogere ad ea vulganda, quæ ad usurpatam & illegitimam illam censuram attinerent. In consideratiū ergo, & vt multa alia, ipso etiam Iansenio crudius posuit Author Indicis, Lessij doctrinam à duabus Facultatibus Theologicis Louaniensi & Duacensi fuisse proscriptam. Eruditissimè enim Censoribus illis pauculus, pleraque illa, quæ ipsi censura notabant ab antiquioribus & celeberrimis Louaniensis schola Doctoribus, Ruardo, Driedone, Cunero aliisque & docta pridem & scripta fuisse; & non se, sed illos ab antiqua Academia doctrinæ deservire. Quo verò loco hac in parte habenda sit doctrina noui Censoris Iansenij, iis, quorum interest, iudicandum relinquimus: iis præfertum, qui eum damnatas, quas resuscitat, propositiones solenniter eiurasse sciunt, vel audiuerint: nobis per XVIII. Articulos suprà indicatæ sat est, quemadmodum in Capitalibus quibusque principiis à communī Scholasticorum & suæ imprimitis Academiæ doctrina, Doctoribus Scriptoribus recesserit.

COROLLARIVM

*T*hrasonismum egregium continens Iansenij, & encomia quibus Philosophiam exornat, ac Scholasticam Theologiam.

Quemadmodum aduersus sanctos Patres, Græcos præsertim, Augustino antiquiores (quorum auctoritatē formidabat) eo se astu muniuit Iansenius, vt quā in re libi adversarios prævidebat, in eā Semi-Pelagianismi eos accusaret: sic eadem industriè Philosophia & Scholastica Theologiae (quidē earum rationibus dissoluendis imparem se agnosceret, cùm neutram esset professus) existimationem eleuavit: in hoc etiam nostri temporis Hæreticis non absimilis, quorum familiare conuicium est (dum veritatis & rationum ponde-

rc

124 CAP. VI. PROPOSITIONES THEOLOGICAE.

re à Catholicis opprimuntur) Sophistas eos appellare. Sedagedum toto Iansenij opere parla
 a *To. 1. l. 6.* passim Philosophia, & Theologiae encomia colligamus. a *Philosophia*, inquit, *prima est origina-*
cap. 18. *tius Heres Pelagiana. . . . Philosophia interpolatrix est veritatis Christianae, non integratrix. . . . Per*
Philosophiam quidquid humanarum rationum ratiocinarum destrutum & Ecclesie iudicio sepultum fuerat, quod
*b *Tom. 1. l.* noua sibi ratione luce, denud ab inferis reuocatum est. Philosophia rursus illud Augustini accommoda-*
6. cap. 33. *dat; b Sapientia verbi, quod euacuata crux Christi Philosophis in vera ratione & Ecclesie auctoritate fundatis (quos enim alios designet, quam Catholicos, qui buscum illi de Gratia controver-sia est) illud Tertulliani impingit: c Philosophi Hæreticorum Patriarcha. Sed meminisse debebat*
*c *Tom. 1. l.* Philosophia-malitia, quantum Philosophia Christiana, certissimae veritatis indagatrix*
6. cap. 18. *tribuerit D. Thomas Doctor Angelicus; quantum (quod ipse alibi fuisse exaggerat) D. Augustinus. Pergit Iansenius, & Philosophiae contentionis, quae de Gratia est, tamen adferit;*
*d *Tom. 1. l.* d Quod, inquit, nostro seculo sapientias illas tot facultatis contentiones de Gratia auxiliis suscitavit, nisi eadem*
6. cap. 18. *Philosophia? Non est Philosophia, Iansenii, sed illa tua vnius iudicij temeritas, non Summorum Pontificum definitionibus acquisiens, non grauissimum censuris exterrita, quod munus (quod severissimo decreto Sedes Apostolica vetuerat) de Gratia scriberes, & propositiones ab Ec-*
*e *Tom. 2. l.* clesia damnares D. Augustino assereres.*

Iam & Theologiam Scholasticam quo factu contemnit? Illius argumenta, & depurata: *An-*
Proemiiali *Plotelica Metaphysica eliuationes: f Philosophicas tricas, & ineptias clavis Diateticorum pertinat per*
cap. 8. *ludibrium appellat. Theologos & sectatores Dinomachi & Epicuri indigit. Alibi h. eodam He-*
*f *Tom. 2. l.* de grat. pr-*
reticiis difficultiora argumenta suppeditasse inuidiosè criminalatur. Sed haec minoria sunt con-
hom. c. vlt. *uicia, si cum grauioribus, quæ sequuntur, calumniis conferantur. Cuius hoc esse dicimus ex-*
*g *Tom. 2. l.* gadiacis, quod a quingentis ferè annis Doctores Scholasticos (& cum iis Ecclesiam improba-*
2. de stat-
nat. lopse c. *tas opiniones receperisse, & Augustini doctrinam tot facultatis receptam, probatam per suscep-*
15. *tionem contrariarū opinionem aboleuisse: quos eo solùm nomine ab heresi excusat, quod*
*h *Tom. 2. l.* tentientias ab Augustino (vt ipse sibi persuadet) reprobatas, numquam tamquam Catholicum*
Proemiiali *fidem tenerint; sed tamquam opinionem suam. Sed ne coniuriorum multitudine obruarum,*
6. 11. *vnum tantum alterumve Theologorum encomium atteximus. i Quemadmodum, inquit, in*
*i *Tom. 2. l.* proemiiali c.* *Theoretici (Scholastici Theologi) limites rerum vere diuinarum transiendo non semel in Chymica*
30. *abstractiones inciderunt; ita in practicis morales regulas agendorum, simplices relinquendo, quæ similes,*
*l *Tom. 2. l.* & genuina ratio, & antiqui Patres prescripserunt, tam laxas effecere conscientias, sub pretextu accommo-*
proemiiali c. *dandi se infirmitatibus hominum, ne nihil opus sit nisi sceleratos fieri homines, ut noua aliqua licetiva*
3. *regula fabricetur Ita solus ille sobrie sapiens maximorum Theologorum doctrinam*
*m *Tom. 2. l.* vellicat, suam verò mirifice deprendit, & supra modum extolit, & cum ceteros velut umbras*
l. proemiiali *magnus ipse Tiresias despexerit, nihil nisi charitatem magistrum sonat; illam videlicet*
cap. 18. *D. Augustini & Apostoli, quæ patiens est, benigna est, non amulatur, non inflatur, non est ambitiosa.*
Ignofice, Lector, si vnum adhuc charitatis ictius fertum producimus, & finimus, m Recens, in-
quit, Theologia ad humanae rationis modulum, & Philosophia gentilis regulam concinnat, e. . . . Tanto
interuerso ab Augustini Theologia discrepat, vt vel ipse Augustinus, (quantum hallucinari in genibus
rebus potest) hallucinatus sit: vel si Augustinus diuinarum rerum veritatem cum de aliis multis, tempe-
cipio de Gratia, & Prædestinatione contra Pelagianos iuxta Catholicam Ecclesie sensum docuit; Recens
isti profectò tantum ab officio verae Theologiae, fide salutis, aberrauerit, vt neque fidem Christianam (quam
animo vt Catholici tenent,) neque spem, neque cupiditatem, neque Charitatem; neque naturam, neque
Gratiam: eamque neque Angelorum, neque hominum, neque stantium, neque lapidum, neque sufficiem, neque
efficacem; neque operantem, neque cooperantem; neque præuentem, neque subsequentem; neque ex-
citantem, neque adiuvantem; neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum; neque
originale, neque actuali, neque meritum, neque mercedem eius; neque premium, neque supplicium creaturæ
rationali; neque beatitudinem, neque miseriorem eius; neque timorem, neque amorem Dei; neque afflictionem, neque
misericordiam eius; neque denique vetus, neque nouum Testamentum intelligere videantur: sed Ba-
byloniam quamdam confusionem, Cymmeriasque quasi tenebras in Theologia mortalis quasi faciem, nimiam
ratiocinationibus indulgendo insulisse.

Tu, Lector, vel ex solo impotenti stylo & effreni scribendi modo iudica, quid de hoc opere statuas: nos enim censorum nobis auctoritatem non arrogamus; sed penes Apostolicam Se-
 dem censuram omnem esse cupimus: quam dum præstolamur, Ecclesia Dei publiceque pre-
 tatis intercessione existimauimus, specimen aliquod doctrinæ Ianseniana propriis ipsius verbis
 depromptam oculis subiicere, & cum variis probatae damnataeque moneta dogmatibus
 & dogmatis collatum expendere: ne quis tamquam oracula de tripode habeat, que tam praefi-
 dentes Iansenii effutur. In quo nihil magis amplectimur, quam quod, vt Catholiceum de-
 cuit, sub vita finem omnia iudicio Sedis Apostolicae submisit. Fortasse & ipse motu suo non
 pauca emendaturus fuerat, si ei per quietem animi opus suum recognoscere, vel retractatio-
 num libros scribere licuisset.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.